



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt IX. [i.e. XVI.] Honorius III. Episcopo, Præposito, & Cantori (a)  
Cameracensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)



vacantium præbendarum, sicut nec ab illo ad nos, ita nec à vobis ad illum potestatem transit donatio earundem, sed secundum statuta Lateranen. Concilii, ad superiorem transit donatio earundem, nisi fortè Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum habeat jus conferendi, & in hoc casu, cum dolosè forsitan impederit, dolus ei suffragari non debet.

## NOTÆ.

1. (a) **E** *Brudun.*] In hac sexta collectione tantum legitur, *idem*; in quarta autem, *sub hoc tit. cap. 2.* ita legitur; sed credo legendum esse Ebrodun. Ebrodunum enim, seu ut alii volunt, Ebrodunum, civitas est in Alpibus maritimis, sita ad Druentiam fluvium, earumque Metropolis civilis dicitur in notitia provinciarum Gallia: à principio Episcopum tantum habuit, ut con-

stat ex Concilio Regiensi *can. 2.* postea tamen Metropolitæ dignitatem obtinuit, ut constat ex Hilario *epist. 4. ad Leontium.* ibi: *Frater, & Coepiscopus noster ingenuus Ebrodunensis, Alpinum maritimarum provincia Metropolitanis semper honore subnixus.* Referunt Carolus à sancto Paulo in *geograph. sacra, fol. 145.* Chenu in *chron. Gallia, fol. 508.* Commentarium huius textus dedi in *cap. dilecti, de supplend. negligentia.*

## CAPVT IX.

Honorius III. *Episcopo, Præposito, & Cantori (a) Cameracensi.*

Cum dilecta in Christo filia, nobilis mulier (b) Joanna Comitissa Flandrensis, devicta quorundam precibus importunis fecerit promissiones illicitas de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet patronatus, & donationes eorum in (c) manibus posuerit alienis, sicut est nostris auribus intimatum: disc. v. m. quatenus irritum decernentes quidquid super hoc ab eadem inveneritis esse factum contra instituta canonica, auctoritate nostra inbibeat is eadem, ne similia de cætero attentare (d) præsumat.

## NOTÆ.

1. (a) **C** *Ameracensi.*] Ita restituo epigraphen, & integram ex quinta compilatione, edita à Cironio, ubi *sub hoc tit. cap. 1.* reperitur textus hic, De Ecclesia Cameracensi nonnulla notavi in *cap. 19. de rescriptis.*  
(b) *Joanna.*] Videlicet Constantinopolitana, Balduini Imperatoris Constantinopolitani filia, quæ patre suo peregrè mortuo, successit in Comitatu Flandriae, anno Christi 1206. cuius prior maritus fuit Ferdinandus filius Regis Portugaliae, quem bello captum Philippus Augustus per decennium detinuit in carcere: posterior fuit Thomas filius Ducis Sabaudia. Ad ipsam, ut Comitissam Flandriae spectabat jus præsentandi in beneficiis ecclesiasticis, ut constat ex *cap. dilecto, de rescriptis, cap. 1. de re iudic. in 3. collect.* referunt Boëtius Epon, *tom. 1. quest. heroic. tit. de Regalibus, Cujacius in cap.,*

*hoc tit. & in dilecto, cap. dilecto. Altessera de Ducibus cap. 8.*

(c) *In manibus posuerit alienis.*] Hæc verba expressi in *cap. consentus 11, hoc tit.* & an patronus possit constituere procuratorem ad præstandum assensum in beneficiis vacaturis, exponit Lotharius *lib. 2. de re benef. cap. 6. in princip.*

(d) *Præsumat.*] Ad eam enim jus canonicum abhorret promissiones beneficii non vacantis, ut necdum eas à patronis fieri permittat, licet ipsi possint postea variare, & ita nullum jus videatur præsentato quæsitum: & licet possint transferte jus patronatus in alios, *cap. ex litteris, de in re patron.* tamen non valent præsentationem in beneficiis vacaturis alii donare, ut docent congesti à Barbosa in præsentis, quibus addo Boëtium Epon in *repetit. ad hunc textum*; Mancinum *sacri juris controu. cap. 23.* ex ratione adducta in *cap. 2. hoc tit.* ex quo commentario præsens petendum est.